



B. 61.

Q. D. B. V.  
EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
**COMMERCIO**  
**INTER ANIMAM**  
**ET CORPVS,**  
QVAM  
INCLYTI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV  
PRAE S I D E  
**M. CHRISTIANO GEORGIO**  
**SCHÜSLERO,**  
HALBERSTADIENSI,  
D. V. AVGVSTI c<sup>o</sup> 10ccxx.  
HORIS CONSVENTIS  
ERUDITORVM EXAMINI SUBMITTIT  
**IOANNES THEODORVS HIPPVS,**  
HALENSIS PHIL. ET SS. THEOL. CVLT.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS IOHANNIS GRVNERI, ACAD. TYPOG.

90  
EXERCITATIO PRACTICAE  
DE  
COMMUNIO  
INTER AMIS  
ET CORPAS

ONI  
IN EYLI THESOPOHORUM ORATIONIBUS  
CONFESSA  
EX CAVAS  
IN CHRISTIANO GEOEGIO  
SCHUTTERO  
HALSERSTADTENS  
DUXA  
MONSOMATIA  
MADDOXII ET HANNIBAL SANTINI  
JUVENES THEODORAS HERBES  
HEDERICI ET SE THEODORI

ET ILLA MUSICA PRACTICAE  
ET ILLA MUSICA PRACTICAE



A. Ω.

## PRAEFAMEN.



Ggredimur, beneuole Lector,  
tradere illas meditationes, quas de com-  
mercio inter animam & corpus nobis-  
cum voluimus revoluimusque, quas-  
que iam dudum Dissertatione quadam  
promisiimus. Exhibebimus primo ve-  
terum & recentiorum Philosophorum  
celeberrimorum de hacce veritate hy-  
potheses, quibus denique nostras ad-  
iungemus. Spem fouemus certissimam, fore, vt nostrae hac  
meditationes nitantur & certissimis principiis & euidentissima  
experientia. Quodsi vero quaedam occurrant, quæ lectori non  
ex omni parte arrideant, in æquore melioremque partem ea  
vt interpretetur, beneuolum Lectorem obsecramus. Deum de-  
nique præpotentem ac omnipotentem, omnis scientiæ auctorem  
atque datorem supplices rogamus, gratia sua hisce nostris co-  
natibus vt sit præsto, qua certo consili ad rem statim nos accin-  
gimus ipsam.

### §. I.

Omni tempore plurimi fuerunt, qui magno studio alla-  
borarunt, commercium inter animam & corpus explicare atque

A 2

demon-

demonstrare, qua ratione actiones dependeant & ab anima & a corpore. Horum vero omnium ac singulorum sententias referre, rei non esse ducimus, quid enim prodest scire varias Philosophorum erroneous sententias? proflus parum. Quare nos in expositione singulorum Philosophorum de commercio inter animam & corpus sententiarum prolixii non erimus. Recensebimus tantummodo Philosophorum clarissimorum de commercio inter animam & corpus hypotheses, quas ad tres classes commode referre poterimus, quibus denique recentiorum quorundam sententias, & quid de illis sentiendum annexemus.

## S. II.

Ad primam classem illos referimus, qui influxum dari physicum affirmarunt, hac ratione, ut animam in corpus operari motusque vi voluntatis suae producere, corpus vero in animam agere, ibique perceptiones gignere putarint. Hac ratione enim fibi commercium inter animam & corpus conceperunt, qui influxum physicum statuerunt. Huic hypothesi addisti fuerunt superiorum seculorum plurimi Philosophi, nec non scholastici, qui certo crediderunt, hanc explicationem, seu demonstrationem commercii inter animam & corpus quotidiana experientia fatis esse stabilitam. Hancce vero hypothesisin experientia non demonstrari, ostendit Magnus Dominus Wolffius in peregrinatio Tractatu de Deo, Mndo & Anima. p. 417 & seqq. vbi satisfacienter exposuit, hancce sententiam scholasticorum veterumque Philosophorum ita comparatam esse, ut rationali modo explicari plane non possit, nec non, quod legi certissima naturae, quod eadem virtutum quantitas in rerum natura conservari debeat, contradicat, atque exinde minime locum habere possit, nisi quid pro vero habere velimus, quod certissimis veritatis aduersatur.

## S. III.

Classis secunda auctor fuit Carthesius, hic primus, qui erroneous proflus esse Scholasticorum de commercio inter animam

anam & corpus sententiam cognovit, corumque sententiam reiecit, & rationali modo commercium inter animam et corpus explicare allaborauit. Ratio, quæ Cartesium adduxit, veterum sententiam reiicere, hac fuit: Ex doctrina motuum agnouit, eandem in natura vniuersi corporea motus (seu potius quemadmodum postea Leibnitius Actis eruditorum 1698, p. 429) ostendit, virium motricium quantitatem) conffanter conferuari, unde intellexit, admissò influxu physico corporis in mentem & mentis in corpus, continuo violari istam naturæ legem, quare influxum physicum tamquam naturae aduersum reiecit. Quum vero ex causis secundis commercium inter animam & corpus demonstrare non possibile judicarit, ad immediatum Numinis numen confugit, & tum actiones corporum in se inuicem, tum animæ in corpus & vicissim corporis in animam actiones per quendam naturæ legem explicare aggressus est. Quænam vero illa lex sit, plurimis & ipse & Malebrange dans l' entretien sur la Methaphysique exposuit locis. Legem nempe naturæ esse diuinam voluntatem qua Deus voluerit, ut quotiescumque spiritus animales hac vel iustinatione in cerebro agitentur, haec vel ista idea in mente orriatur, & quoties mens velit, vt membra quædam corporis moveantur, motus quoque subsequuntur. Ex quibus satis appetet, Cartesii sententiam esse, nutum diuinum veram causam esse tum idealium in mente exortientium, tum motuum in corpore ad numerum mentis subseculorum. Quum vero hac ratione neque corpus neque anima vi agendi propria instruuntur, sed occasiones sunt tantummodo, quibus Deus ad commercium inter animam & corpus stabilendum vtitur, Systema Hoc Systema causalium occasionalium vocari solet.

## §. IV.

Huic Cartesii hypothesi plurimi Philosophi & huius & superioris seculi adsentiti sunt. Sed & hanc commercii inter animam & corpus explicationem non veram atque adæquatam esse, pro primo cognovit illustris Leibnitius, id eoque illam reiecit. Pro-

Iapsus enim fuit Carthesius in hanc sententiam, quia non p̄p̄pet-  
dit, principium rationis sufficientis, quod nempe nihil possit esse  
absque ratione, per consequens & diuinam voluntatem non abs-  
que ratione esse, neque illam absque ratione legem quandam ferre  
posse. Hoc si enim distincte agnouisset facile suam hypothesis  
locum habere non posse intelligere potuisset. Nullaenim ad eis ratio  
quare ciusmodi legem uti Carthesius voluit Deus dedisset. Qua-  
re Leibnitius cum hancē veritatem distincte cognoverit, Car-  
thesii sententiam non potuit non reiicere. Conf. celeberrimus  
Dn. Wolff. I. c. p. 422. vbi plures rationes adduxit, propter quas  
hocce Systema locum habere non possit, quas vero, quam ex-  
quisite ibi sunt demonstratæ, nos recensere superuacaneum esse  
ducimus.

## §. V.

Non solum vero Leibnitius insufficientiam Hypothesos  
Carthesianae agnouit, sed & commercium inter animam & cor-  
pus alia ratione explicare allaborauit. Perspicacissimus hicce  
Philosophus optime agnouit, hominem ex duabus plane diuer-  
sis compositum esse substantiis, substantiæ vero cuiilibet compe-  
tere vim, qua omnes actiones producit. Substantiam enim de-  
finiuit, quod sit ens, vi actiua prædictum, conf. Acta Eruditorum  
1695. & Magnificum Dominum Wolfium I. c. p. 49. §. 116.  
Quodsi autem anima & corpus diuersæ sunt substantia, sequitur  
omnino, utrique vim propriam operandi seu producendi actus  
competere, cuicunque enim substantia competit vis quædam agen-  
di qua actus producit conf. Celeb. D. Wolfium. I. c. Si vero anima  
propria vi producit perceptiones seu actiones, & corpus quoque  
propria vi secundum certas quasdam motus leges actiones suas  
producit, anima neque in corpus, neque corpus in animam  
operator, nec non requiritur immediatus DEI concursus ad  
producendos & motus corporis & perceptiones animi. Hec  
quum agnouerit, non potuit non celeberrimus Leibnitius rei-  
cere & influxum physicum & systema causalium occasionalium,  
& hac

& hac ratione commercium inter animam & corpus conseruari, sibi concipere, quod per præscientiam diuinam eiusmodi substantiae sint combinatae, quæ sibi inuicem actionibus propriis, quas propria vi producunt, respondent. Et hæc est celeberrimi Leibnitii de commercio inter animam & corpus sententia. Hac ratione sibi concepit perspicacissimum hicce Philosophus commercium inter animam & corpus, vt anima vi propria producat perceptiones, quæ respondent motibus corporis, corpus vero per structuram mechanicam secundum certas motus leges eiusmodi motus & operationes, producat quæ respondent perceptionibus animæ. Atque ita harmoniam inter corpus & animam esse perpetuam.

## §. VI.

Hancce præstabilitam harmoniam, eius auctor ut diximus, Leibnitius, multis cognitu atque perspectu difficillimam evidenter declarauit Magnificus Dr. Wolffius, l. c. p. 424. §. 76. & rationibus quam certissimis eius veritatem, quod nempe nitatur certissimis principiis, demonstrauit. Quare nos in explicatione huius systematis vberiores esse superuacaneum iure iudicamus. Progedimus & recentioris ætatis quorundam Philosophorum sententias a supra deductis systematibus diuerlas cognoscere conanmur.

## §. VII.

Fuerunt quidam nostra ætate, qui de anima & corporis vinculo sententias supra deductas quidem agnoverunt, at omnes simul etiam repudiarunt, suadentes potius, vt querentibus de commercio inter animam & corpus per ingenuam ignorantiae professionem respondeamus. Sed hos eorumque argumenta, quibus ignorantiam suam probare conantur, iure non respiciimus, sunt enim, quæcumque in modum proferunt, ita compara-ta, vt præclararum principiorum Philosophorum ignorantiam profiteantur. Hos inquam derelinquimus & illos potius respici-mus, qui nostra ætate vineulum inter animam & corpus expli-gare aggressi sunt. Primum inter hos locum occupant illi, qui

Studio

Studio agnoscendi veritatem, commercii inter animam & corpus, in hunc errorem prolapso, ut ex tribus partibus, essentialibus mente nempe, anima & corpore, hominem compositum esse, contendere non erubuerint, & quidem hac ratione, ut mentem substantiam omnis materia expertem ac praeditam intelligendi iuxta ac volendi facultatibus, dixerint, corpus autem per substantiam materialiam & mechanicam definierint, animam denique substantiam esse natura inter corpus & mentem media, communem homini cum bestiis, praefectamque in homine corporis motibus & sensibus, affirmarint. Hi inquam, qui ex hisce tribus partibus hominem compositum esse affirmant, animam dicunt esse, quae pareat menti in corpore mouendo, ceteraque curet omnia, quae ad hominem, ut aiunt, animalem, spectant, & vinculum illud esse, quo mediante mens corpus afficeret, in corpus agere, anque corporis consociatione conseruari possit. Hanc vero animam, qua ex ipsorum opinione vinculum interanimam & corpus conservatur, nunc ex spiritibus animalibus seu vitalibus in sanguine latentibus, nunc ex ætherea, nunc ex substantia siderea, nunc ex liquido, quod in neruis continetur, nunc ex igne vitali aut calido innato, aut humido radicali, nunc aliunde deriuandam esse contendunt. Ipsam hanc illorum explicationem vero si respicimus, statim hanc hypothesis locum habere non posse agnoscimus, si quidem in ipsa explicatione suæ hypothesis sibi contradicunt, primo enim plane diuersas inter se tres has substantias asserunt, in explicatione vero corpus & animam re vera unam substantiam esse affirmant. Si quidem Corpus materiam crassam explicant, animam vero ex subtiliore quadam materia compositam, ut agnouimus, contendunt. Unde itaque corpus & animam diuersas esse substantias probabunt? Hæc certe illorum responsio, quod nempe exinde diuersæ hæ sint substantiae, quia anima subtiliore quadam materia, corpus vero crassiore sit compositum, minime sufficiet, haec si enim sufficeret, omnino sequeretur, non tantum modo tres dari substantias, sed plures, quibus

quibus compositus sit homo. Varii enim dantur in homine li-  
quores, qui diuersi inter se in eo, quod alii sunt subtiliores, alii  
vero crassiores, quodsi itaque ab hac diuersitate dependeret sub-  
stantiarum diuersitas omnino sequeretur quam plurimis homi-  
nem compositum substantijs, non vero tantum tribus. Multo luci-  
dior falsitas eorum, qui tribus substantiis hominem compositum  
asserunt, appareat, ipsam substantię distinctam notionem  
accurate si perpendimus, tunc statim sole meridiano clarius ap-  
paret, sententiam hanc de tribus hominis partibus essentialibus or-  
tam esse ex non distincta cognitione substantię & quod illæ sub-  
stantię tantummodo diuersæ, quarum attributa essentialia plane  
sunt diuersa. Nimirum prolixum esse putamus, ad iam memorata  
principia sententiam de tribus hominis partibus examinare atque  
que illius insufficientiam demonstrare, præprimis cum certo su-  
mus persuasi, cuilibet, cui haecce principia cognita sunt atque  
perspecta, & hoc cognitum fore facillimum. Cum itaque uti de-  
monstrauimus principium de tribus hominis partibus essentiali-  
bus erroneum, omnino erronea inde dependens demonstra-  
tio commercii inter animam & corpus quare illam non res-  
picimus.

## § VIII.

Alii hac ratione nostra etate vinculum inter animam &  
corpus explicare allaborarunt, vt assuerint, fieri per voluntatem  
Dei, vt anima materia omnis expers & corpus materia-  
tum se inuicem sine medio afficiant, vt sit tamdiu motuum cor-  
poris & cogitationum animi veluti reciprocatio quedam animæ  
que quasi in corpore habitatio, quamdiu Deus velit, vt anima  
& corpore non egrediatur, præter hanc Dei vero voluntatem  
nullum aliud unionis inter animam & corpus medium seu vin-  
culum reperiiri posse, quam animæ anorem, & inclinationem  
erga corpus, hanc esse ita animæ per naturam habitum ingenera-  
tam,

B

tam, ut anima a corpore non nisi vi quadam & destrucio prius corpore dissolui possit, quam sententiam suam fecit Dn. G. De-thardingius, Prof. Medic. Rostochiens. clariss. in scrutinio commercii animi & corporis. Hanc vero commercii inter animam & corpus explicationem minus adaequatam esse, & quotidiana experientia satis demonstrat, vt ad illam remouendam rationibus a priori non indigemus. Quotidie experimur, dari homines, mortem mirum qui exoptant, atque ita omnem inclinationem & amorem erga corpus amiserunt, exinde vero vitam non amittunt, sed sunt superfites. Quam plurimi quoque inueniuntur qui in ipso agone mirum diutius inter viuos morari desiderant, nihilominus tamen inuiti vita priuantur, atque vinculum inter animam & corpus rumpitur. Has quotidianas obseruationes certissimas satis evidenter demonstrare putamus, minime vinculum seu commercium inter animam & corpus dependere ab amore, seu inclinatione animæ organorum.

## S. IX.

Paucis ab hinc annis & Witteberge prodiit quadam dissertatione de Vinculo inter animam & corpus, in hac Autor Celeb. Vinculum animæ & corporis querendum esse πρότας in diuina voluntate δεύτερος, autem incongruentia cogitationum seu operationum animæ rationalis cum motibus & toto statu seu conditione corporis humani conuenienter; Hoc illud ipsum esse affirmat autor celeberrimus, quo posito, ponatur etiam animæ humanæ & corporis nostri copulatio, quo im pedito aut prorsus negato impeditur simul & prorsus tollatur haec coniunctio. Huic celeberrimo auctori lubentissime concedimus, vera esse supposita, commercium inter animam & corpus dependere priuato a voluntate diuina, Deus nempe vti Leibnitius demonstrauit, combinauit ciusmodi substantias, quarum actiones sibi invicem

vicem respondere posse , per præscientiam cognovit , secundario autem commercium inter animam & corpus dependere a con- gruentia cogitationum seu operationum animæ , cum motibus corporis , sed haec supposita minime commercium inter animam & corpus explicant , declarant enim tantummodo , quidnam sit commercium inter animam & corpus , minime vero ex his suppositis patet , qua ratione commercium inter animam & corpus sit comparatum , quoque modo conseretur ac conti- nuerit , quid anima ad commercium stabiliendum cum corpori conferat , & quid corpus contribuat . Quum itaque non suffi- ciens haec commercii inter animam & corpus explicatio in ea non acquiescimus , qui studio flagramus , distinctam acquirean- di de hacce veritate notitiam .

## S. X.

Hæ sunt recentiores de commercio inter animam & cor- pus potiores hypotheses , quas vero ita comparatas esse cognovimus , vt in illis acquiscere non possit , distinctam notionem hu- ius veritatis qui exoptat . Relinquimus itaque has hypotheses , ac præstabilitæ harmoniæ celeberrimi Leibnitii adsentimur , siquidem huius hypothesin ita comparatam agnouimus , vt nitatur certissimis naturæ principiis . Cognitum quidem atque perspec- tum nobis est , quibus im pugnatur haec celeberrimi huius Phi- losophi sententia , quidam enim iam fuerunt tempore Leibnitii , qui illam plane impossibilem iudicarunt , quibus vero lite- ris quibusdam satis exquisite respondit ipse Leibnitius . No- stris temporibus a multis adhuc quotidie im pugnatur exinde quod libertati contradicat actionum , ac omnem prorsus tollat libertatem . Has vero omnes difficultates plane expirare certo sumus persuasi , commercium inter animam & corpus ita nobis si concipimus , vt anima vi , qua pollet , propria , omnes per- ceptio-

ceptiones producat, & corpus vicissim vi motrice, qua præditum, secundum leges motus producat omnes motus seu operationes corporeas, ita tamen, vt anima dirigit motus seu actiones corporis. Hac ratione nobis si concipiimus operationes & corporis & animæ, sumus persuasi, non solum conceptu facillimum esse commercium, sed & prorsus exstirare omnes difficultates, quæ contra libertatem actionum moueri possunt, vi alio loco pluribus demonstrabimus. Iam demonstrandum nobis omnino erit, nostrum conceptum, quem nobis formauimus, animam dirigere motus corporis, quos tamen non producit, nisi & certis principiis & evidenter experientia.

## §. XI.

Paragraphio antec. commercium inter animam & corpus  
hac ratione explicare aggressi sumus, vt dixerimus, corpus esse  
instar machinae cuiusdam, quod vi structuræ omnes producat  
actiones, juxta regulas mechanicas legesque motus, animam ve-  
ro per se omnes producere operationes suas, commercium au-  
tem inter animam & corpus hac ratione stabiliri, vt anima diri-  
git ac gubernet operationes mechanicas corporis, quæ corporis  
necessario secundum leges motus producit, hæc vero tria no-  
stra asserta vera esse, iam nobis erit demonstrandum. Primo  
quod attinet illud suppositum, quod anima per se producat  
omnes perceptiones, hoc facile demonstrare poterimus, tan-  
tummodo considerandum nobis erit, animam esse substantiam,  
quod senioris mentis capax negare non poterit, quodsi vero  
anima est substantia, omnino in se continere debet, rationem  
mutationis status sui seu perceptionum quod Dissertatione no-  
stra de Anima, eius affectibus atque cultura pluribus demonstra-  
vimus §. II, p. 6. Quod vero corpus & in se necessario.

conr.

contineat rationem motuum seu mutationis status sui, hoc probatur itidem exinde, quia corpus est substantia, quod nemo in dubium vocare poterit. In se itaque necessario continet rationem motuum ac motus per se producit, neque alio quodam ente creato ad motus producendos indiget, confer. Excellentis. D. Wolff. l. c. p. 49. quod & satis patet a posteriori, & Anatomicorum observationibus stabilitur. Denique quod attinet tertium nostrum suppositum, quod anima dirigat operationes corporis, quae corpus per se secundum leges motus producit, & hoc a priori & a posteriori probare poterimus. Priusquam vero ipsam demonstrationem huius veritatis aggrediamur, liceat nobis, quo eo lucidior nostra appareat mens, exempla quædam adducere. Nam nos die Sub batis sonantes percipere campanas, & apud animum nostrum constituere, tempia adire, vnde hoc, quod percepto hoc campanarum sonno tempia adeamus, illo vero non percepto domi permaneamus? nonne dependet ab anima? Resp. omnino. Anima enim est res quæ sibi representare valet. In anima itaque ratio continetur, quod campanarum sono percepto templum hoc vel illud adeamus. Quo modo vero ratio huius actus in anima continetur, facile cognoscere poterimus, actum huncce accurate si perpendimus. Actum enim huncce distincte si perpendimus statim intelligimus, animam quadam directione concurrere ad hunc actum. Corpus ut scimus, antea iam est in motu, quod vero motus corporis versus hoc vel illud templum dirigatur, hoc efficit anima, dirigendo nempe motus corporis hue vel illuc. Hoc eo lucidius apparet, si ponimus obenire nobis quendam in platea qui nos certiores reddat, celeberrimum quendam concionatorem in alio quadam templo, quam quod nos adire constituerimus, sermonem sacrum iam facere, simulac hoc percipiemus, motum corporis, quem versus aliud templum direximus, mutabimus, & versus

... in sacrum in quo illum concionatorem concionatum  
 ... ceperimus, dirigemus. Vnde quæso, quod simulac perceperimus  
 concionatorem celebrem quandam in alio templo, quam quod  
 adire constitueramus, facere sermonem, motum corporis mu-  
 temus, atque statim dirigamus versus illud templum? nonne de-  
 pendet a relatione quam amicus nobis fecit? Resp. omnia, quod si  
 enim iste nobis non obius esset factus, atque noua illanobis re-  
 tulisset, omnino templum illud, quod constitueramus, adiissemus.  
 Patet itaque, quod hæc mutatio motus dependeat ab anima, ita  
 ut hæc motum corporis dirigit versus illud templum, alias enī  
 motus corporis versus aliud templum direxissemus. Quo co-  
 lucidior res appareat, licet nobis in hocce exemplo continuare.  
 Ponamus nos ingredi illad templum, quo nouum quandam con-  
 cionatorem sermonem facturum perceperimus, ac nos loco celeber-  
 rimi istius concionatoris balbutientem ac hæitantem invenire,  
 simulac templum illud derelinquemus, ac potius nos eo conse-  
 remus vbi meliorem concionaturum scimus. Vnde quod iterum  
 motus corporis mutetur, omnino ab anima dependere, illam-  
 que motum huncce dirigere afferere debemus, nisi afferere ve-  
 limus, corpus nostrum necessario templum illud ingredi debuisse,  
 per momentum tantum ibi morari, ac simul ac alium in locum  
 se conferre. Ex hoc exemplo cognitu facilissimum esse iudica-  
 mus, quid intelligamus animam si dirigere actiones seu motus cor-  
 poris affirmamus, nos nimirum per directionem non intelligere,  
 quod anima producat motus corporis, minime, nam corpus per se  
 motus producit, secundum certas motus leges, uti in physicis  
 demonstratur, anima vero illas dirigit, ut huc vel illuc ten-  
 dant. Hæc sufficere putamus ad mentem nostram declarandam,  
 progre limur itaque ad ipsam huius assertionis demonstrationem.  
 A priori hanc facile demonstrare poterimus ex principio rationis  
 sufficientis quod nihil sit absque ratione sufficiente. Nimirum  
 ponamus, animam non dirigere motus hominis, unde rationem  
 pete-

petemus, quod die Sabbati, quando percipimus celebrem quen-  
 dam concionatorem in æde quadam sacra sermonem esse factu-  
 rum, statim festinando in illud templum nos conferamus, non  
 vero illud templum petamus, quod alias visitare solemus. In  
 quoniam continetur ratio huius actus? Certe in corpore non  
 continetur, siquidem corpus præter motus nihil efficere valet,  
 ideoque non in illo contineri potest, quod ambulemus in illam  
 ædem, non vero in aliam quandam, nisi necessario nos illud  
 templum ingredi debere affirmare velimus, quod tamen absit.  
 Quod DEus vero immediate ita actiones corporis dirigat, ut  
 corpus in hanc vel illam ædem se conferat, hoc asserere esset ab-  
 surdissimum. DEum enim ita omnium actionum & malarum au-  
 torem esse assertere deberemus, quod probris absolum. Quum  
 itaque, neque in corpore neque in DEo ratio huius actus quod  
 ita dirigatur motus corporis continetur, certe in anima ratio huius  
 actus, quod ita dirigatur, continetur. Quod si vero quidam  
 hoc in dubium vocare velit omnino concedere debebit, esse  
 hunc actum absque ratione seu prorsus necessarium, quod vitrum-  
 que asserere non poterimus. Patet itaque & a priori, omnino  
 animae competere vim dirigendi actiones seu motus corporis.  
 Quare lubentissime in hanc sententiam, adducimur,  
 ut asseramus animae competere vim quandam dirigendi  
 actiones seu motus corporis. A posteriori pluribus  
 exemplis hanc nostram hypothesis demonstrare non necessa-  
 riū esse iudicamus, quum ex exemplo supra adducto satisclare  
 illam apparere putamus. Nec non certo sumus persuasi, quem-  
 libet actiones suas quotidianas si obseruat, lubentissime con-  
 ciliurum, hanc nostram assertionem omnino locum habere  
 posse.

## §. XII.

Contra vero hanc nostram deductam meditationem in medium forsitan quisquam assurget, illam ita esse comparatam, ut influxum physicum supra reiectum stabiliat, nec non quod illa repugnet legi certissimæ quod eadem virium quantitatis conservari debeat; tertio quis opponat, illam corporis & animæ attributa inter se confundere. Sed accurate omnia si perpendimus, omnes has obiectiones contra nostram assertionem locum habere non posse facile agnoscemus.

## §. XIII.

Primo quod attinet influxum physicum, illi minime facit nostra commercii inter animam & corpus explicatio. Influxum enim physicum illi statuant, qui animam in corpus & corpus in animam vicissim operari affirmant, quod vero nos minime asserimus, nos enim cum celeberrimo Leibnitio dicimus animam per naturam suam producere perceptiones & corpus secundum leges motus vi propria producere, motus, addimus tantum modo animam dirigere motus, quos corpus vi propria producit. Prorsus itaque abhorremus ab illorum sententia, influxum physicum dari qui assurunt. Secundo quod attinet legem illarum nature, quod eadem virium quantitatis in rerum natura conservari debet, & huic legi natura certissimæ nostra hypothesis non contradicit, siquidem vis illa animæ, qua dirigit motus corporis, per suam naturam animæ competit. Quodsi vero vis directiva motuum corporis animæ per suam naturam competit, minime vis illa perit, sed semper eadem manet. Itidem comparatum est enim cum vi illa, qua anima motus corporis dirigit, quemadmotum comparatum, cum vi perceptuæ. Vis perceptuæ

perceptua animæ per suam naturam competit' ideoque animæ est perpetua. Sed obiicit forse quis piam, vnde demonstrari possit, quod vis illa, per quam anima motus corporis dirigit, animæ per suam naturam competat; Huic respondebimus, vnde cognitum atque perspectum habemus, quod vis perceptua animæ per naturam competit illaque sit perpetua? Resp. quia experimur, animæ competere eiusmodi vim. Eadem experientia nos docet, anima quod competit & vis directua qua motus corporis dirigit, nec non ipsa S. Scriptura eiusmodi vim spiritibus competere nos erudit. Tertio denique quod attinet obiectionem illorum, qui putant, nos per nostram hypothesis confundere attributa animæ & corporis, his respondemus omnino quidem apparere, ac si eo, quod animæ vim directiam attribuamus, ei vim motricem, qua corporis attributam, adscribamus. Sed rem ipsam distincti si perpendimus, statim agnoscimus, illam consequentiam minime veram, animæ competit vis directua motus corporis, ergo & ipsi vis motrix corporibus propria competere debet. Superesset quidem, ut principium illud, juxta quod anima motus corporis dirigit, exponamus. cum spatium vero huic Dissertationi destinatum iam consumtum, dissertationi peculiari illud destinamus

## SOLI DEO GLORIA.

Gratulor

**G**ratulor ex animo Cathedram quod scandis  
AMICE,

Atque TIBI keto pectora fausta precor!  
Inuigila porro studiis ut premia tandem.  
Exacto curtu digna labore ferant!

Patens hisce verbis Ciui atque Amico suo  
extumatisimo gratulatur.

**Carolus Gottlieb Knorr/**

Halensis J. V. Cand.

**W**As wil Herr Hippius vor andern iest beginnen?  
Wil Er nicht allzu fruh hin zum Parnassus gehn?  
Nein! spricht Apollens Mund: den Streit soll Er  
gewinnen,  
Und künftig soll Er auch zu meiner Seiten stehn,  
Auf unserm Saal-Athen ist Er ja auferzogen,  
Was Wunder das Er hat die Weisheit eingesogen.  
Dies Lob muss Ihn mein Freund der scheele Neid selbst geben  
Wie Er mit Hercules hat einen Bund gemacht:  
Ihr woltet jederzeit mit Müh nach Weisheit streben,  
Bis das Ihr euren Ruhm zum höchsten Grad gebracht  
Fridriciana soll hier von ein Merckmahl sehn,  
Indem Er iest getrost kan zum Catheder gehen,  
Ich wünsche demnach Glück zu solchen Tugend-Proben,  
Ja Fama rufft Sie schon an allen Orthen aus,  
Die Nach-Welt wird Ihn auch und seine Klugheit loben,  
Er hat das Bürger-Recht in Pallas Ehren-Haus.  
Drum wer de ANIMA mit Ruhm kan disputiren,  
Dem muss ohnstreitig auch der Lorbeer-Reiß gebühren.

Hiermit wolte den Herrn Respondenten als  
seinen Werhesten Freunde wohlmeynend  
gratuliren / dessen ergebenster

**Jo. Christianus Hübner/**

Med. Cand. Halens.

Corpo-

**C**orporis ac Animæ quæ sint commercia, thidum est  
Valde inter doctos res agitata Viros,  
Materiam hanc potuit nemo referare profundam,  
Ut nullus dubius sit maneatque locus.  
Hoc præstas HIPPI & commercia talia monstras  
Res tota ante oculos clara patensque jacet,  
Perge precor studiis abstrusum inquire verum,  
Gloria sic quoque Te clara patensque manet,

FautorI suo atque Amico honoratissimo, Do-  
mino Respondenti his paucis obseruan-  
tiam suam testari voluit eius obseruan-  
tissimus.

Io. Benjamin Affmann,  
L. L. Cult.

---

**N**Er seinen Fleiß gedenkt zum Nutzen anzuwenden/  
Der macht es so, daß man vor andern deutlich  
schaut/  
Weil diese kluge Welt sich nicht zum Schein läßt blenden,  
Es muß ein Weiser seyn, dem sie sich anvertraut,  
Sie Hochgeehrter Freund beweisens mit den Werken,  
Dass Sie die edle Zeit am besten angewandt,  
Der Höchste wolle Sie hinsüro ferner stärken,  
Er mache Ihren Ruhm in aller Welt bekant.

Dieses wünscht ein ansehnlicher  
Freund/  
**Franciscus Ludovicus Franck,**  
Berolinensis.

**H**e Wahrheit iſt, die uns erfreuen kan,  
Darum erblickt man Ihn auf ihren Annuths-We-  
gen,  
Und höret seinen Mund die Lügen widerlegen,  
Er kämpft für Sie und thut auch recht daran,  
Die Wahrheit iſt, die uns unsterblich macht.  
Er fahre nur so fort der Welt das Bild zu zeigen,  
Dana wird sein Nahme auch bis an die Sonne steigen,  
Sie iſt allein der Seelen schönste Pracht.

Mit diesen wenigen Zeilen wolte dem  
Herrn Respondenten gratuliren  
dessen getreuer Freund und Diener/

C. E. Simonetti,

L. L. Stud.

---

### Monsieur Hippius

**J**E vous felicite de tout mon coeur de votre presente  
dissertation souhaitant, que le grand Dieu dans vos  
Etudes vous veuille toujours benir, de mon coté  
je vous assure de ma reconnoissance, de la peine que  
vous vous êtes donnés de m'enseigner, menomant a  
cause de cela.

Monsieur

Halle de zem

Aout. 1720.

Votre tres humble Serviteur,

de Saintfort de Wesel.

20(25)

Al 364  $\alpha$


(1)



56.

3. 18





Q. D. B. V.

# EXERCITATIO ACADEMICA

DE

# COMMERCIO INTER ANIMAM ET CORPVS,

QVAM

INCLYTI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV

P R A E S I D E

# M. CHRISTIANO GEORG SCHÜSLERO,

## HALBERSTADIENS,

D. V. A V G V S T I c l o I o c c x x .

# HORIS CONSVENTIS

**ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT**

IOANNES THEODORVS HIPPIV  
HALENSIS PHIL. ET SS. THEOL. CVLT.

# HALENSIS PHIL. ET SS. THEOL. CVLT.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS IOHANNIS GRVNERI, ACAD. TYPOGR.